

licet episcopi, presbyteri et diaconi cardinales tunc apud sedem apostolicam constituti, et qui e vicino poterant evocari, ad providendum universali ecclesie de pastore invicem convenerunt. Cumque, ut¹ moris est, missarum sollempnibus in honore sancti Spiritus celebratis tractatum habuissent super ipsius ecclesie provisione diutinum et prolixum, eoque huiusmodi provisio plenioris deliberationis copiam et amplioris circumspectionis consilium requirebat, et etiam quia fratres ipsi suos defixerant animos in diversa², demum iuniore fratre³ quasi altero Daniele spiritu Dei pleno fratres alios ad viam compromissi, que sepius temptata inutiliter fuerat, inducente, in duos ex ipsis fratribus, qui magis contrarii videbantur, communiter extitit compromissum, qui compromisso recepto, eo misericorditer inspirante, qui facit concordiam in sublimibus suis⁴ et duos e diverso⁵ parietes venientes in se ipso coniunxit lapide angulario⁶, statim effecti unanimes et concordēs, nos absentes, qui tunc omisso legationis officio, quod propter obstinatum perfidiam et contumacem pertinaciam rebellium Anglicorum⁷, nolentes⁸ nos ad legationem ipsam admittere, nequivimus exequi ad profectum, revertebamur ad matris ecclesie gremium de partibus Gallicanis⁹, in summum pontificem potestate sibi tradita concorditer elegerunt¹⁰, quamquam plures ex ipsis proprie prerogativa virtutis et suorum preminetia meritorum ad tante dignitatis apicem potuissent dignius et conveniencius evocari. Nos itaque hoc audito nostram insufficienciam attendentes et honoris fastigium oneris fastidium reputantes, expavimus vehementer, nam cepit mens refugere, cor stupere ob tanti ponderis gravitatem; propter quod volentes tante altitudinis vitare discrimina et cupientes potius actu minorari, ut sapientiam quereremus¹¹, quam supra nos in magnis et mirabilibus ambulare, in medio tandem fratrum positi, eorum votis diu fuimus reluctati, huiusmodi sarcinam nostris importabilem humeris penitus recusando. Sed ipsi nullum omnino excusationis nostre suffragium admittentes, nobis reclamantibus et renitentibus¹² iugum apposuerunt apostolice servitutis. Nos autem, non de nostris meritis et

1) 'et' Hs. 2) Vgl. oben S. 368 N. 3. 3) Corr. aus 'fratrum' Hs.
 4) Iob 25, 2. 5) 'diversos' Hs. 6) 'anglāiu' Hs. 7) 'Anglicorum' Hs.
 8) Wenn keine Verderbnis vorliegt, ist 'nolentes' auf 'perfidiam' und 'per-
 tinaciam' zu beziehen. 9) Er war also bereits auf der Heimreise, als
 die Wahl stattfand, vgl. oben S. 368 N. 4. 10) Es folgt 'et' Hs.
 11) Vgl. Eccli. 38, 25: 'Qui minoratur actu, sapientiam percipiet'.
 12) 'renitenibus' Hs.